









1733.

1. Brokes, Henricus : De Pomponio historicie Romanae  
iugiorum.
- 2<sup>nd</sup> Brokes, Henricus : De praematura apprehensione fuit  
morte personis non tam probata 2 Temp.
3. Celleius, Christopf Lvd : Dumen culper in negotiorum  
gestorum iustis praestri reputatit
- 4<sup>th</sup> Celleius, Christopf Lvd : Suntitem ultimis tollendis in  
usurpatione libertatis constiter . . . reputatit
- 5<sup>th</sup> Celleius, Christopf Ldone : Decimotria et periculo  
prisonis 2 Temp.
6. ~~Federicus~~, Gottl. Friedemann : De jure naturae  
et patriis ingenii angelorum hoc est de officiis  
angelorum ex eorum ingenio resultantibus
7. Heidern, Dr. Antonius : De Literarum humaniorum  
Graecae latineque linguae cognitivis
- 8<sup>th</sup> ~~Haus~~, Dr. Iosephus Gottlieb, Ord. Thk . . . locum :  
leitor s. p. 1. (ad reputacionem salomonis Georgii  
Tristacii Schreueri iur. Dr.).)

10. - 6.

Kraunis, de Corpore: Potest ex facto foliis  
abscindere . . . capitulo 2. sententia.

11. Krause, Jakobus Graecus: Untersuchung des Werkes  
Musicae artis et in Scholasticae Indicatio.

12. Leyserus, Augustinus: Ord. iurid. . . Prosternum:  
lectio salutem / et supplicationem solennem  
Historiae Ultorii Mensekni instat

13. <sup>a. b. c.</sup> Leyserus, Augustinus: De concordia consonatorum  
3. sententia. 14<sup>a</sup> Leyser - Junctus  
<sup>c d</sup> Leyser - Laurentius


14. Leyser, Jakobus Brocua: De sifariis abliguis.

15. Leyser, Augustinus: Pictorem ac jurisdictionem  
remediorum contra sifarias . . . habebus.

16. Leyser, Augustinus: De stellionata.

17. Leyser, Augustinus: Beneficiis competentiae  
per nosque nobis has competat . . . publicas  
dignaret.

18. Henckenius, "Gardiner Lutetianus": De praenuptiis  
immunis hominum licet memoria sufficiente  
per documenta dilenda.
19. Sturmius, "Grotius": Dissertatione iuridica, q. De spuriis  
heredis instituto querelan insufficienti testamenti  
fratris enclavis non procreante.
20. Sturmius, "Grotius": Dissertatione iuridica, qua Testimonia  
in definiendo iure naturali et distinguendo iure  
successionis arbitrius. <sup>et iuris</sup> Job. Paul. Brodtkorps  
et Haecklinis de cunctis. Trilinguis Germanica, Latinis, et Litteris  
1. Sturmius, "Grotius": De heredate ex proprio partis Cor. No.  
44. Augsburgo: 1698. <sup>littera praecepit in Consilio Antiquorum</sup> <sup>da 1698</sup>
- 22<sup>nd</sup> Westphalia, Dr. Grotius: De co., quod iuri est circa muletas  
iure pecunies pecuniaries vultus von Geld-Büßan.
23. Werker, Dr. Fridericus: Decas Testimoniorum iuridicorum  
Ei.
24. Werker, Dr. Frider.: De tempore mentis iuris contractorum  
2 Simpl.
25. Werker, Dr. Frider.: De similitudine inventorum  
i.e. probam successione



Pri. 8. vols. 48.

6

1733. 46

26  
**DISPVTATIO IVRIDICA**  
SERVITVTEM ALTIUS TOLLENDI  
IN VSVCAPIONE LIBERTATIS  
CONSISTERE

PRAESIDE

**CHRISTOPH. LVDOVICO  
CRELLIO**

I. V. D. IVR. NAT. ET GENT. ITEMQUE POET. PROF. PVBL. ORDIN  
FACVLTATIS IVRID. ASSESSORE EXTRAORD

IN AVDITORIO ICTORVM

DISQVIRET

AVCTOR

**GVILIELM. HENRIC. LVDOVICVS**  
LENGEFELD. MISNICVS

VITEMBERGAE PRID. ID. MART. CIO IOCC XXXIII

(3)

EX OFFIC. EICHSFELDIANA





VIRO. PLVRIMVM. VENERANDO. AM  
PLISIMO. DOCTISIMO

IOANNI. HENRICO  
LVDOVICO  
PARENTI. NON. NATVRA. SOLVM  
SED. ET. MERITIS  
VERE. PARENTI

D. D. D  
FILIVS  
GVILIELMVS. HENRICVS. LVDOVICVS

**Q**vandoquidem Tibi, VENERANDE PARENTIS, naturali iure non solum omnia debeo, sed & insuper bona mente cupio debere; nihil reliquum esse videbatur, quam ut publicum pietatis in Te meae monumentum proderem. Quatuor fere lustra abierunt, quibus Te patrem agno-

A 2

DFG

agnosco, & Tu animum meum exemplo, & paece-  
ptis, ad virtutem & sapientiam erexisti. Hoc benefi-  
cium menti meae tam alte insitum est, ut istud neque  
oblivione, neque ulla alia ratione extingui potuerit,  
eiusque remunerationem soli Deo permittere co-  
gar. Faxis ille, ne Te unquam laboris & beneficio-  
rum Tuorum, mei caussa, poeniteat ; In hoc enim  
perpetuo allaborabit

VENERANDE PARENTS

Tibi obsequentissimus

Auctor.



# I

**D**E iure altius tollendi verba facturus, indolem eius *Generale* ex caeterarum servitutum natura, & historico *discrimen* huius iuris progressu animadverto facile de-*servitutum* clarari posse. Ideoque praenosendum prius *urbanarum* & *rufica-* generale discrimen, quod a veteribus inter *ram* servitutes *RVSTICAS* & *VRBANAS* custoditum fuit. O-  
mnis servitus praediorum consistit vel *IN SOLO* vel *in SVPER-*  
*FICIE* L. 3. de *Servit.* Hinc quaedam servitutes dicuntur *ru-*  
*sticæ*, quae solum afficiunt, quaedam vero *urbanae*, quarum u-  
sus est in superficie. Licet enim nonnulli existiment, discrimen servitutum *urbanarum* & *ruficarum* ex eo potissimum de-  
finiri debere, an servitus debeatur praedio *rufico*, an *urbano*; Vix tamen est, ut haec nota pro certa haberi possit: siquidem constat, servitutem *urbanam*, ut puta: ius altius tollendi, ta-  
meti debeatur praedio *rufico*, manere nihilominus *urbanam*, & omnia, quae in servitutibus *urbanis* *urbano* praedio debitis ob-  
servantur, pariter in illa obtinere. Rectius ita statuendum es-  
se videtur: In antiquitate hoc solum accidisse, cum adhuc fru-  
galitatis laude clarecerent Romani. Hi enim praedia *rufica* nonnisi ad necessitatem agriculturae extruebant, adeoque τὸ  
τελεσθόγον & principale eorum erat *SOLVM*; *SVPERFICIEI* ve-

ro in tantum ratio habebatur, in quantum ea rustico usui infer-  
 viebat. Ille rustici ex villa prospectus amoenissimus habebatur,  
 qui oculis offerret horrea, bovilia, vel alia conclavia instrumen-  
 tis agriculturae referta. Quaedam eriam VRBANAЕ servitutes  
 ita sunt comparatae, ut nonnisi in aedificiorum coniugitate lo-  
 cum habeant, ut puta: oneris ferendi, tigni immittendi, & fi-  
 milia. Consequens ergo est, urbanas servitutes olim perpetuo  
 in praedii urbani utilitatem constitutas, rusticas servitutes vero  
 in urbe eo minus frequentes fuisse, quo minus eo tempore Ro-  
 mana gens amplis & spatiosis dominibus, sed potius casis humili-  
 bus sine ordine & splendore positis, utebatur. Quippe ita poti-  
 us aedificabant, ut cuique ad domum suam liber aditus, neque  
 opus esset, eum in finem, ut postea accidit, a vicino itineris ser-  
 vitutem stipulari L. 20. §. i. d. S. P. V. Temporibus vero po-  
 sterioribus haec omnia invertabantur, cum scilicet luxuria Vr-  
 bem ingredetur, & villae non agri colendi gratia, sed voluptati  
 ut inservient, aedificantur. Hinc non minori cura superfici-  
 es quam solum instruebatur. PLINIVS IVNIOR, homo cae-  
 teroquin frugalis, & quam minime delicatus, Laurentinum su-  
 um in tam varias porticus, balnea & baptisteria divisum memo-  
 rat in Lib. II. Epist. 17. ut eo nomine haud immerito sub censu-  
 ram VARRONIS de Re Rustica l. 13. venire videatur, eos repre-  
 „hendentis, „qui diligenteriam suam in villa aedificantia eo potius  
 „dirigunt, ut spectent sua aestiva triclinaria, ad frigus orientis,  
 „hiberna ad solem occidentem, quam ut antiqui, in quam  
 „partem cella vinaria, aut olearia, fenestras haberet.“ Idem  
 accedit RVSTICIS servitutibus. Adeo enim ab antiqua severi-  
 tate recedebant Romani, ut aqua, quae olim ad irrigandum,  
 vel pecoris, caussa, ducebatur, nunc etiam amoenitatis caussa  
 in praedia urbana duci posset. L. i. §. ii. L. 3. pr. d. Aq. Cottid.  
 & Aestiv. Magis ergo est, ut servitus rustica, praedio licet  
 urbano debita, maneat nihilominus rustica, dummodo ea in so-

LO exerceatur; & e contrario urbana servitus, licet ad rusticum praedium pertineat, urbanarum servitutum numero & iure nequaquam excidat. Nec mover, quod servitudes praedio rustico debitae, licet *SUPERFICIEM* afficiant, nominentur a *Neratio* in L. 2. d. S. P.R. ruficæ; Jcti enim nomen antiquum & monrem nominandi servitudes a prædiis retinentes, nihil in vera earum natura mutaverunt. Ideoque sine discrimine servitus urbana, sive debeatur praedio rustico, sive urbano, solo nonusus haud perit, nisi simul a serviente libertas usucapiatur L. 7. d. S. P. U. Subtiliter hoc animadvertis coryphaeus Legum Prudentum *Ulpianus* in L. 1. pr. *Comm. Praed.* scribens: Servitudes urbanorum prædiorum constitui posse, etiam si in villa aedificia sint

## II

**D**ixi haec tenus de generali discrimine servitutum rusticarum *Naturalis* atque urbanarum. Specialiter nunc de earum natura & ordine nunc erit agendum. Aggrediamur primo *URBANAS*. Illud haud in obscuro esse arbitror, ab omni servitute libertatem circumscribi. Libertas vero vel provenit ex iure naturali, vel civili. Qua propter *NATURALI* more primum servitutum genus id fuit, quod naturali adversatur libertati: Belle hoc videt *SEXTVS PEDIVS*, judice *Ulpiano* in L. 5, §. 9. d. *Nov. Op. Nunc*. qui ideo naturalem novi operis nunciationis causam eam nominat, cum prohibemus in aedes nostras immittentem, vel aedificantem in nostro, quia nimirum *NATVRALEM* per eam defendimus libertatem. Dupliciter vero se exerit naturalis domini libertas in superficie. Vel enim ipse in aedificio suo infinite quid *FACERE* potest, etiam si vicino officiat; vel vicinum *PROHIBERE*, ne quid immitat, vel faciat, in aedibus alienis, contra ius domino a natura concessum. Ad hanc itaque licentiam coercendam, stipulabatur vicinus dupliciter: vel, ne serviens

quid?

quid faciat in suo, quod ipsi communi iure permittebatur, vel, ne prohibeat vicinus serviens dominantem immittere, & aedificare, in aedibus servientis. Ita circumscripta est utraque libertas. Inde satis probabile videtur, servitutes, ne altius tollatur aedificium, ne luminibus officiatur, ut stillicidium recipiat, ut tignum immittatur, & similes prius usitatas, eas vero tempore & moribus longe posteriores fuisse, quae sunt LIBERTATIS NATURALIS, & postea utiliter servitutum nomine insignitae fuerunt. Qua vero ratione hoc acciderit, age videamus

## III

*Qua'ratio-* **N**imirum constat exemplo rerum immobilium introductam fu-  
*one libertas* *naturalis* *ante legem* *Scriboniam* *in servitu-*  
*transfertur.* **I**ffe VSVCAPIONEM, ita, ut satis brevi tempore, biennio  
 scilicet, servitutes acquirerentur. Hoc iniquum videbatur Ictis,  
 quod tam brevi temporis spatio libertatis naturalis iacturam face-  
 rent Quirites. Sed quomodo consulerent? Per solum non usum,  
 ideo perire non poterant, quia usus finitur facto hominis, ur-  
 banac vero servitutes consistunt potius in non faciendo, & sufficit  
 adesse opus humanis manibus factum, quo mediante dominans  
 jus suum exerceat, licet ipse perpetuo hand concurrat. Aliam  
 ergo excogitabant servitutum formam. Ad servitutem scilicet  
 satis esse credebant, si jus servientis diminueretur, alterius vero  
 augeretur L. 5. §. 9. d. Nv. Op. Nuic. & quia hoc pariter fieri  
 videbant, in libertate naturali per usucaptionem amissa, recipi-  
 enda; hanc ipsum servitutis nomine includebant, ne veterem u-  
 sucaptionis, quae tantum ad servitutes pertinebat, formam in-  
 novare viderentur. Finge itaque acquisivisse vicinum servitu-  
 tem, ne altius tollantur aedes: amissa est eo nomine libertas na-  
 turalis. Si vero per statutum tempus altius aedificatum habue-  
 ris; recuperata est LIBERTAS NATURALIS; & erit SERVITVS  
 ALTIUS TOLLENDI. Et quia haec duae servitutum species sibi  
 invicem

invicem oppositae, commode uno vocabulo exprimi nequeunt, patet hinc ratio locutionis: SERVITVS ALTIUS TOLLENDI; vel NON: in L. 2. d. S. P. U. Pari modo caeterae servitutes urbanae sunt explicandae. Quamvis enim in quibusdam explicite non fiat mentio libertatis naturalis sub titulo servitutis; Male tamen exinde colligi videtur, quasi non idem in illis obtinuisse. Nonnunquam enim sola memoratur servitus: NE LICEAT altius tollere; quea tamen eodem casu in se continet tacite contraria servitutem, scilicet UT LICEAT altius tollere. Extat huiusmodi species in L. 4. §. 8. Si Serv. Vind. Dicitur ibi servitutem: ne altius tollatur, ei etiam deberi posse, qui ulteriores habet aedes; Quis vero negaret, ibi sub hac servitute etiam contraria comprehendendi? Hoc inconsulti, credo, foret iudicium. Ergo dici potest servitus tigni immittendi, vel non; oneris ferendi, vel non: absque lapsus metu, & laesione verecundiae veteribus debitae

## IV

**P**AULO difficilior erit opinio[n]is huius applicatio ad LVMINVM *Luminum* servitutem. Communiter Interpretes hic duplicem statuant servitus ex servitutem: LVMINVM scilicet, & NE luminibus OFFICIATVR. *hypothesi* Ea in re utuntur verbis PAVLI in L. 4. d. S. P. U, qui utramque formulam sciungit. LVMINVM enim inquit, servitute *praecedentis Spbi deo clarata.* constituta, id acquisitum censeret, ut adversarius lumina nostra nostra excipiat. Cum autem servitus imponitur, NE luminibus OFFICIATVR, id adepti videmur, ne ius sit vicino, altius aedificare invitit nobis, atque ita minuere lumina nostrorum aedificiorum. Si queris, quid sit in hac lege lumina nostra excipere, ablegant te ad eundem PAVLUM in L. 40. d. S. P. U. qui ita respondit: „Eos, qui ius luminis immittendi non habuerunt, aperto pariete communis nullo iure fenestras immisisse,

B

Ex

Ex quibus verbis coniciunt, LVMINVM servitutem simpliciter, diversam esse ab hac: NE luminibus OFFICIATVR, & per illam licentiam fieri dominanti, fenestras in vicini parietem immittendi. Sed salva res est: Quandoquidem rectius hanc sententiam oppugnavit Vir Celeberrimus GERARDVS NOODT. POMPONIVS enim in L. 23. d. S. P. U. eandem esse putavit luminum servitutem, & ne luminibus officiatur, siquidem in utraque formula: LVMINA, VT IN VNC SVNT, VT ITA SINT, &, NE LVMINIBVS OFFICIATVR, id adepti videmur, ne vicinus luminibus nostris officiat. Sub generali potius vocabulo luminum comprehenditur duplex servitus affirmativa & negativa: SERVITVS & LIBERTAS a servitate. Ut puta: servitus luminibus officiendi, vel non, quemadmodum hoc duplex servitus genus pari modo continetur in servitute altius tollendi vel non L. 2. d. S. P. U. Hoc si cogites, iam non obstabit PAVLVS in antea citata L. 4. d. S. P. U. Nam verba eius, ut vicinus lumina nostra excipiat, commode ita accipi possunt, ne contra aedificando vicinus lumina nostra quacunque ratione impedit, quemadmodum idem similem stilicidum formulam interpretatur in L. 20. §. 3. d. S. P. U. Forstian PAVLVS tradere voluit diversas formulas Romanorum aedificiis inscribi solitas, quae alibi saepius leguntur: LVMINA VT IN VNC SVNT, VT ITA SINT, &, NE LVMINIBVS OFFICIATVR. Neque mens eius fuit, ut duplē faciat servitutem luminum, & ne luminibus officiatur: Siquidem, ut antea dictum est, per utramque formulam id obtinebimus, ne luminibus officiatur. Sed tantum formulae, ne luminibus officiatur, specialiorem esse significationem, & plerumque de servitute, ne altius tollatur, accipi debere; Priorem vero formulam, si luminum servitus simpliciter constituantur, ampliorem recipere interpretationem, ut de quoque quaeluminis impedimento accipiatur. L. 15. §. 8. d. S. P. U. Siue ponatur arbos L. 17. pr. d. S. P. U. Siue deprimitur aedificium,

ne lumen κατὰ αὐτανάλασην in aedes alterius devolvi possit  
 L. 17. §. 2. d. S. P. U. Ergo nihil impedit, quo minus haec  
 quoque servitus eodem cum caeteris urbanis iure censeri possit

## V

**R**Eferendae nūnc veniunt eae servitutes, quae SOLO inhae- *De servitu-*  
*rent, & inde RUSTICAE appellantur. Harum usus per tibus rusti-*  
*petuo postulat factum hominis. Quemadmodum itaque liber- cis, & cur-*  
*tas naturalis, quae in solo exercetur, & vicino damnoſa est, in in iis non*  
*eo potissimum conficit, ut prohibeamus alterum ne in solo no- dentur ser-*  
*stro quid faciat, quod tollat libertatem naturalem; Ita simplex gativae*  
*quoque servitutum rusticarum genus fuit, quo scilicet, serviens,*  
*dominanti concedit, in ipius solo aliquid facere, quod levat*  
*necessitatem, & auger commodum praedii dominantis. Pater*  
*inde, hoc nomine minime necessariam fuisse inductionem LIBER-*  
*TATIS, sub servitutis specie: Siquidem harum servitutum na-*  
*tura patitur, ut solo nonnulli perire possint. Cessante enim fa-*  
*cto dominantis cessat ipsa servitus, quae facto hominis absolvitur*  
 L. 6. *Quemadmo. Servit. Amitt.* & hac ratione non opus fuit  
*libertatis uacapione. Hic quidem A Q V A E D V C T V S servitutem*  
*mihi obiici posse sentio; quae, quamvis in ea hominis opera*  
*perpetuo minime necessaria sit, tamen inter rusticas servitutes*  
*connumeratur. Sed hodie plane alia eſſe facies huius servitutis,*  
*quam quae fuit antiquis temporibus. Vix credibile est, Romanos,*  
*primordio Urbis tam magnificis aquaeductibus usos esse,*  
*ut posteritas umbram & reliquias horum operum propemodum*  
*horreat. Aqua ab initio ducebatur per rivos ad agrum irri-*  
*gandum & hauriendum. Huiusmodi vero aquam non per to-*  
*tum annum duci, sed interdum expedire, ut intermittatur,*  
*constat ex L. 1. §. 2. 3. d. Aq. Cottid. & Aestiv. Hinc, quia haec*  
*servitus non solum in solo exercebatur, sed & ratione usus dif-*

continua erat, siquidem dominans interdum cessare necesse habebat, quae duae tamen res rusticam faciunt servitutem; magis placuit, aqueductum esse rusticam servitutem. Potea quam vero invaluit, ut aqua amoenitatis causa in praedia urbana ducetur L. I. §. II. d. Aq. Cottid. & Aestiv. opus manu factum, & perpetuum adhibitum est; Quo facto dubiam induit haec servitus naturam, & quea propius accedit ad urbanas servitutis definitionem

## VI

*Lex Scribonia* **H**oc ius usque ad TIBERII, temporā, sub quo Consul fuit L. SCRIBONIUS LIBO, viguisse videtur. Hic enim libertatem in servitutis conditionem adoptatam a JCTis, removit rursum, & latā L<sup>E</sup>G<sup>E</sup>S<sup>I</sup>R<sup>E</sup>B<sup>O</sup>N<sup>I</sup>A verus discrimen reduxit inter servitutem & libertatem a servitute; ita ut libertatem simpliciter usucapere permetteret, ea usucapione, quae servitutem constituebat, penitus abrogata. Ita rem refert Paulus in L. 4. §. 29. D. d. Usurp. & Usc.

## VII

*Ratio Legis Scriboniae* **Q**uae ratio moverit auctorem Legis Scriboniae, latet adhuc Eruditos. Abscondit eam simul historiae defectus, & auctorum impedit silentium, quo minus ea tuto definiri queat. De tempore & auctore huius Legis dudum se probavit coniectura RAEVARDI ad Legem Scriboniam cap. 1. fuisse eum L. Scribonium Libonem, qui sub Tiberio cum Sisenne Statilio Tauro consulatum gefxit. Fuit hic patricius adolescentis turbidi ingenii, quemadmodum ex Dione observavit RAEVARDVS ad L. Scribon. cap. 1. & curatus de eo differit TACIT. Ann. II. 27. 28. 29. 30. 31. 32. qui tandem perfidia Firmii Cati, quasi res novas molire.

moliretur, delatus, sibi ipli ante condemnationem mortem con-  
scivit. Vivebat eo tempore, quo celeberrimae patriciorum  
gentes, quae

stantes in curribus Aemilianos

Et Curios iam dimidios, namque minorem  
Corvini, & Galbam auriculis nāoque carentem  
in atriis suis ostentabant, & adulazione erga Principem adeo  
inebriatae erant, ut nihil respicientes ad prīcam avorum vir-  
tutem, leges sanctosque mores ad Principis libidinem infleste-  
rent. In horum incommodum tulit forsan LIBO Legem Scri-  
boniam, qua, aquisitione servitutis per usum inhibita, e con-  
trario firmavit libertatis tempore in Legibus statuto capionem.  
Potentiores enim, quorum domibus, in urbium modum ex-  
aedificatis, adiacabant plerumque pauperiorum aediculae (quas  
alio quoque nomine insulas vocare solebant: G R A E V. in Praefat.  
T. IV. Thesaur. Antiqu.) facilius poterant usucapere servitu-  
tem, ne altius tollatur, & luminibus eorum officiatur. Hoc  
prohibebat LIBO, & libertati favebat, quam temporis usu recu-  
perare permettebat. An ad solas servitutes urbanas pertinuerit,  
Lex Scribonia, quae situm fui inter Interpretes. C VIACIVS  
ita sensuit, quoniam in Lege Scribonia mentio fiat liber-  
tatis naturalis, cuius tamen usucatio in solis urbanis servitutibus  
locum habeat. Sed huius sententiae rationes investigarunt  
jam alii vid. V. C. Conradi in Notis ad Raevard. L. Scribon.  
cap. 6. Hoc unicum addere liceat, supra a me dictis conse-  
quens esse, occasionem Legis ferendae praebuisse servitutes ur-  
banas; quamvis, quo minus illa, quod ad servitutis per usum  
constitutionem attinet, pariter in rusticis obtinuerit, nihil im-  
pedire videatur.

## VIII

Post Legem Scriboniam, vario colore, minuendarum litium  
 Scriboniam gratia, reddit SERVITVTVM VSVCPIO. Eum in finem  
 reducatur a PRAETORE actionem propositam esse, omnes, quos ego qui-  
 vituum n- a dem novi, Interpretes, extra omnem dubitationem positum  
 fucatio. Hoc a Prae- esse existimant. Datur haec actio illi, qui forte tot annos nec  
 toribus fa- tis legis diserte non proditus est PRAETOR huius actionis au-  
 sum esse quidam ar- bitrantur ius. Sed ita Interpretibus visum est. Cum enim haec Lex sit  
 rationes & ex ULPIANO Lib. 53. ad editum, in quo ille  
 eis rationes ex ULPIANO Lib. 53. ad editum, in quo ille  
 interpretatus est Titulum editi de Aqua & Aquae Pluviae arcen-  
 dae actione; Hinc non levius videbatur coniecura, id, quod Prae-  
 torem de aqua edixisse, titulus praefert, esse hanc ipsam acti-  
 onem. Accedit, quod & ULPIANVS in L. I. §. ult. d. Aq. &  
 Aq. Pluv. Arcend. temere meminisse usucaptionis servitum cen-  
 seri potest, ni forsan d. L. IO. Si Serv. Vind. cohaeserit; cum  
 antea citata L. I. §. ult. d. Aq. & Aq. Pluv. Magis quoque est,  
 quod ULPIANVS in L. I. §. ult. d. S. P. R. concise quidem,  
 sed satis probabiliter servitutis usucaptionem commemorasse  
 videatur, scribens: Traditione plane & patientia inducit officium  
 PRAETORIS. Eadem fere sunt, quae habentur in  
 L. II. §. I. d. Public. in Rem Act. Unde vix dubites, PRAETORIS  
 officio deberi reductam servitutis usucaptionem.

## IX

Sed Praetor **E**NIMVERO, quo minus placeat haec opinio, varia in contrari-  
 videtur in- um movent argumenta haud improbabilia. Non enim IC-  
 fidicium, pos- tos, primos autores & perpetuos servitutum efformatores, hoc  
 seffitorium introdixi: negotium tam facile deseruisse credendum est. Nec aliud per-  
 sua-

suadent verba ULPIANI in L. I. §. ult. d. *Aq. & Aq. Pluv. Arc.* aientis: *Sane & in caeteris servitutibus idem sequimur &c.* scilicet, quod hic de aquae pluviae arcendae actione a nobis i. e. ICris traditum est, idem sequimur in caeteris servitutibus. Nec nos movent leges ab Adversariis allegatae. Videndum enim primo, num in iis, in quibus patientiam servitutum praetoris officium subsequi dicitur paulo strictius intelligatur istud Praetoris officium, quod in actionibus PETITORIIS concedendis occupatur. Patientia, si vel maxime eam a traditione seinxeris, exemplo L. II. d. *Publ.* in *Rem. At.* & L. I. §. ult. d. S. R. P. efficit etiam ius possessionis, ideoque interdicta veluti possessoria constituta sunt, quod ait *Iavolenus* in L. ult. d. *Servit.* & in his pari ratione PRAETORIS MVNVS accipi potest, ita, ut minus recte inde coniiciatur, a Praetore introductam esse actionem de servitute usucapienda. Nec felicius ad partes vocatur ULPIANVS in L. II. §. i. d. *Publ.* *At.* differens ibi de actione Publiciana, quae competit de re nondum usucapta. Ea vero actio, de qua nobis sermo est, plane est alia, quippe quae nascitur demum ex adimplera usucacione. De hac nimirum, num proficiuntur a PRAETORE, quaeritur: Non vero de Publiciana, de qua merito dubitare non licet. Neque ULPIANVS aliquem confundat, qui L. 10. *Si Serv. Vind.* actionem de servitute usucapta explicavit; Quamvis enim haec particula ex Ulpiani lib. 53. ad Edictum Praetoris de *Aqua & Aqua Pluvia arcenda* decerptra sit; non tamen ausim affirmare, Praetorem de aqua per usum acquirenda ibi edixisse. Id enim, quod Praetor de aqua in isto titulo proposuit, refert L. 4. C. de *Servit.* Aquam, scilicet, in alieno loco ortam, sine voluntate eius, ad quem aquae istius usus pertinet, duci non posse. Nihil exstet de servitutis usucacione. In huius rei interpretatione totus est ULPIANVS in L. 8. 10. eod. & Paulus in L. 9. eod. Cur vero Ulpianus in L. I. §. ult. d. *Aq. & Aq. Pluv. Arc.* (cum qua Lege procul dubio connecta fuit L. 10. *Si Serv. Vind.*) memoret servitutum usucapio-

pionem , huius rei ratio paulo curiosius erit inquirenda

## X

**C**ur Ulpia **ULPIANVM** in L. I. §. ult. d. Aq. & Aq. Plur. Arc. conferre  
*nisi in titu-* QVASI SERVITVTEM, quam in actione aquae pluviae ar-  
*lo Edicti de* cendae fingebat ICti, cum VSVCAPIONE SERVITVTVM ma-  
*aqua & ae.* quae pluviae arcendae competebat, quo-  
*quae plu-* nescitum est. Actio aquae pluviae arcendae competebat, quo-  
*viae arcen-* tiae aqua pluviae opere manu facta a vicino ita dirigebat, ut dam-  
*ties actione* das actione num inde metuendum est L. I. §. I. h. t. Ergo cessabat, si aqua  
*etiam* ser- pluviae quasi a natura in alterius agrum derivabatur, puta si in-  
*zutum* u- ferior esset; Hanc enim a natura servitutem videri impositam,  
*suscipionem* ut agro superiori inferior serviret. Haec servitus ex qualitate  
*praedii* naturali descendens vocabatur QVASI SERVITVS L. I.  
*§. ult h. t.* (Quam quasi servitutem significare servitutem per u-  
*sum* acquisitam minus reste censere videtur V. C. Conradi in no-  
*tis ad Raevard. Leg. Scribon. cap. 5. (i) Hoc ULPIANVS ita  
*quoque in caeteris*, iisque veris, servitutibus obtainere dicit, si  
*lex* praedio non sit dicta, quemadmodum antea hoc de agro af-  
*fert*, ut ubi Lex non inveniatur, aggerum modum in agris mun-  
*endorum definiens*, veritas vicem Legis teneat. Non imme-  
*rito* Ulpiano haec ratio opportuna videbatur, ut simul hoc loco  
*tractatum* de servitutibus per usum acquirendis susciperet, quia  
*& haec interdum* a veritate imponuntur. Animadversum fuit  
*a Viris Doctis*, Tribonianum subinde suae prmissionis oblitum  
*Edicti* perpetui seriem nonnunquam deseruisse; Sed non adeo  
*gravi laborat* culpa bonus vir, quam commissis non minus  
*graviter*, quam verisimiliter incusatur; siquidem non raro Ulpiani  
*pravae consuetudini* ipsi parendum fuit, qui arrepto levi co-  
*lore* ab iis materiis, quae in quoque titulo propositae fuerunt,  
*ad alios* iuris tractatus digrediebatur, quamvis etiam in corri-  
*genda**

genda hac Ulpiani ~~zaxonθeia~~ occupatur, peioris saepe erroris  
culpae succubuerit. En exemplum

## XI

**P**raetorem de Magistratis Municipalibus egisse sub initium *Exemplum*  
Edicti, inde certum est, quia HERMOGENIANVS, qui in *digressionis*  
L. 2. D. d. *Stat. Hom.* Edicti perpetui seriem se fecurum *ab Ulpiano*  
professus est, tractauit hunc iuris articulum in Lib. I. Epitoma  
rum. Id cognoscitur ex Rubro L. 16. 23. 25. D. *Ad Municip.* Vi-  
pianum quoque in prima Commentarii sui parte eos non plane  
omisisse, docet inscriptio L. 26. 30. D. *Ad Municip.* Edictum con-  
tra *de Damno infecto* interpretatus est Ulpianus in Lib. 53. si ex  
Rubro L. 7. 9. 13. 15. d. Damn. Inf. iudicamus. Nihilo tamen se-  
civis Tribonianus particulam ex Lib. I. Ulpiani, ubi de Magi-  
stratis municipalibus actum fuerat, contulit in titulum Dige-  
storum, ubi Edictum de Damno infecto interpretatur. Nec  
ideo\* inique fecisse Tribonianum putandum est. Quamvis enim  
in d. L. 4. d. Damn. Inf. aliquoties mentio fiat Magistratum Mu-

C

nici-

\* Alio tamen loco haec correccio male cecidit Triboniano.  
Scilicet, si quaeris Edictum Praetoris de iis, qui cautioni  
in iudicio sistendi causa factae non obtemperaverunt, hoc mi-  
nus in opportuno loco positum deprehenderur. Quia enim  
ex hoc Edicto nonnunquam in bona contumaciam ibatur,  
inferuit illud Tribonianus generali titulo, quem in conce-  
ptione Digestorum sive effinxit, quasi is etiam antea in E-  
dicto perpetuo extisset, sive non intellexit titulum; qui  
tractavit potius id, quod ultimum est in iudicio non per  
contumaciam abrupto, sed per ordinarias iuris ambages  
traducto & finito, executionem scilicet: Demonstrat hoc L.  
2. D. *Quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* Ex ipsis Edicti verbis ex-  
tantibus in dicta L. 2. apparet, illud magis convenire titulo:  
*Si quis cautionibus &c.* Nec repugnat Ulpiani liber, ex quo  
haec lex a Triboniano decerpta est, liber scilicet quintus

ad

nicipalium, Ulpianus tamen eorum non meminit, quasi de iis aeternus. Ex tota enim disputatione L. 4. apparet, Ulpianum ibi data opera de damno infecto tractavisse, & in transitu tantum inieccisse Magistratum Municipalium mentionem, quamvis de his illo libro, suadente ordine Edicti perpetui, agendum esset ex instituto. Eam forte Ulpianus rationem sufficere credidit, quam recenset in L. 1. d. Damn. Inf. Nimurum quia Praetor officium suum de damno infecto ob celeritatem in ea re necessariam Magistratibus Municipalibus demandare solet; hinc sibi quoque licere credidit, eo loco, quo de Magistratibus Municipalibus tradebat, quaedam de damno infecto commentari.

## XII

Ergo haec EX dictis apparet, Ulpianum, ubi in rem quamlibet, per occasio de fer-  
viziutnu s-  
caſionem Edicti, quod tractat, incidit, liberius vagari:  
nec tenaciter inhaerere instituto; sed faciliorem esse in conne:  
ſuptione ex Edi-ctendis argumentis. Idem credo ipsi accedit in L. 1. §. ult. d.  
eo pratio- Aq. S. Aq. Pluv. Arc. quam tractamus. Certe verba illa: In cae:  
teris

ad Edictum. Hoc enim libro comprehendisse Ulpianum materiam cautionum in iudicio factarum satis forte evincentur ex triulo L. 2. *Qui Satisd. Cog.* Sed ita tractavit eam, quemadmodum iam in simili specie notavimus, ut breviter & quasi aliud agens transcurret, si divinare licet ex reliquo L. 2. *Quib. ex cassi. in posess. eat.* Eo fusius tamen eam prosecutus est in libro, in quo de exceptionibus ipsi agendum fuit, si conferatur L. 2. 4. *Si quis Caut. eandem cum L. 2. d. Except. in Ulpiani commentario sedem agnoscentes.* Facile hoc argumento moveri potuit Ulpianus, quoniam illi, qui iusta ex causa vadimonium deferuit, pura ob transactum negotium vel impedimentum a tempestate & valerudine factum, Praetor exceptionem daret. L. 2. pr. §. 3. *Si quis Caut.* hinc non incommodum fore creditur, de ea re eo loco agere, ubi de exceptionibus agendum

teris servitibus idem sequimur &c. manifeste arguant, ipsum dixis sed JC-  
gredi a priori instituto. Cum itaque tractaret de quasi servitute torum in-  
in actione aquae pluviae arcendae obveniente, & eam tempore & genii de-  
vetustate acquiri animadverteret, per opportunum ipsi videba-  
tur, eodem loco verarum servitutum usucacionem proponere.  
Itaque falluntur, qui exinde, quod actio de servitutum usuc-  
acione in Ulpiani libris ad Edictum continetur, arguant, eam  
ex Praetoris Edicto originem trahere. Magis est, ut credas  
hanc ab Ulpiano per occasionem loco non congruo tractatam  
esse. Usus enim est Ulpianus in Commentariis suis arbitrio  
ordine, & coepit tractationem, velut antea vidimus, alienis,  
ad eum locum non pertinentibus, materiis interpongere solitus  
est. Videntur potius JCti, qui iura servitutum ex suo iporum  
ingenio formabant, hac etiam parte, in reducenda servitutum  
usucacione, officium suum absoluisse.

### XIII

**I**Taque postquam JCti gloriam redactae usucacionis vindica- *De iure al-*  
vimus, restat ut videamus, qua ratione, post Legem Scribo-  
niam defunctudine abolitam, ius ALTIUS TOLLENDI accipien-  
tius tollendi licentiam haberet, sed prohiberetur a  
scilicet evenire poterat, ut quis per publicam Legem  
rectum altius tollendi licentiam haberet, sed prohiberetur a  
vicino, qui longa consuetudine ius, ne altius tollatur, que-  
sierat. In hac specie praecipue versabatur privatum emo-  
lumentum, cui vicinus sicut in caeteris rebus renunciare, &  
consequenter alter etiam consensu vicini expressio ius ALTIUS  
TOLLENDI acquirere poterat, neque publicis Edictis eo no-  
mine officere necesse habebat. Ea erat *servitus altius tollendi*.  
Non enim cum iis faciendum, qui ius altius tollendi esse sta-  
tuunt, si altitudinem Lege publica introducam propter con-  
sensum vicini aedificando superare liceat. Scilicet obliiti sunt,

C 2    *quod*

quod docuit eos PAPINIANVS in L. 38. d. *Pat.* ius publicum stipulationibus privatorum immutari non posse. Imo, quamvis forte huic dubio ita occurrant, Edicta Principum de aedium altitudine externo intuitu publica fuisse, internam vero eorum intentionem in privatorum utilitate demum desisse; Hoc tamen nullo respectu verum esse arbitror, nisi forte eo, quo illae etiam leges, quibus per privatorum stipulationes contraveniri posse negatur, ad singulorum rem pertinere existimandae sunt. Omnes, qui citantur Rei Romanae auctores, et de aedium altitudine per Principes coercita proddiderunt, addunt, hoc ideo factum esse, ut ruinarum facilitati & frequentia occurratur. (De qua varia prostant antiquitatis testimonia vid. *Juvenal. Satyr.* III. v. 7. 8.) Ita de Augusto testatur *Strabo Geogr.* V. & de Traiano *Aurelius Victor.* Sed, ne Urbs ruinis deformetur, publice interest L. 2. §. 14. *Ne quid in loc. publ.* Eiusmodi autem species iuris altius tollendi, quemadmodum id paulo ante declaravimus, ne quis nimirum statum aedificiorum antiquum & consuetudinem in aedificando servatam, transgrediatur „comprehenditur in L. 1. C. d. *Servit.* Si quas actiones adversus „eum, qui aedificium *contra veterem formam* extruxit, ut luminibus „ruis officeret, competere tibi existimas, more solito per iudicem „exercere non prohiberis; Is, qui index erit, longi temporis „consuetudinem vicem servitutis obtinere sciet. Manifestum est *VETEREM FORMAM* in hac lege vocari consuetudinem, quemadmodum ius aquae ducendae per consuetudinem ordinatum dicitur *FORMA & MOS SOLENNIS* aquae in L. 7. C. d. *Servit.* Eodem sensu *veterem formam* intellexit *TACITVS Ann.* XV. 43. formam scilicet aedificiorum, prout stant, more perpetuo continuatam. Nec aliter Ulpianum explicandum esse observabis in L. II. d. S. P. U. Infeliciter ergo *RAEVARDVS Conjectam* III. 12. in L. I. C. d. *Servit.* quaerit formam lege publica introductam. Haec enim sententia non congruit verbis: Is, qui index eris *longi temporis CONSuetudinem* vicem ser-

vitutis obtinere sciet. Velut ipse alibi ad Leg. Scribon. cap. V.  
haec verba de servitum usucacione capienda esse recte arbitratur. Ab iisdem Imp. Severo & Antonino auctoribus L. I.  
C. d. Servit. haec FORMA vocatur MODVS in aedificando VS-  
TATVS L. I. C. d. Aedif. Privat. Denique hanc formam veterem  
stabilivit Zeno in L. 12. C. d. Aedif. Privat. quam constitutionem  
de servitibus egisse expresse testatur JVSTINIANVS  
in L. 13. C. cod.

## XIV

**H**AEC de iure altius tollendi. In reliquis servitutibus urbanis De servitu-  
nihil superest dubii, excepta servitute STILICIDII, in te stilicidii.  
cuius explicatione adhuc scrupulus tenet; Extat enim probabili-  
lis, ut videtur, quorundam opinio, qui sibi prae reliquis hoc  
nomine sapuisse videntur. Praecipuus eorum est THOMASIVS  
in Dissert. d. Servit. Stilicid. §. 40. Videbant scilicet, contra  
eorum sententiam, qui civitatis statutum prius ponunt, non  
sine ratione moveri posse, quod huiusmodi forma stilicidiorum  
per Legem publicam stabilita in Romanis Scriptoribus omnino  
non extaret. Mutabant igitur personam servientis atque dominan-  
tis, in servitute stilicidii non recipiendi, quasi scilicet is, qui  
stilicidium non recipit, servire, contra vero, is, qui  
recipit, haberet ius dominantis. Hoc non iniutiliter fieri exifi-  
mant quibusdam in locis, ubi aquae penuria, ita ut dominans  
stilicidium, quod ordinarie in vicini aedes profluit, iure exci-  
pere atque proprio usui adhibere possit. Sed haec sententia con-  
tra iuris rationes uidetur excogitata. Dedit forsitan ita cogitandi  
materiam formula, qua appellatur servitus STILICIDIVM A-  
VERTENDI: VEL NON in L. 2. d. S.P. U. quasi in servitute stillici-  
dii non avertendi is, qui non avertit, dominari, & ex eo, quod  
non avertat, usui proprio consulere intendat. Non credidissent  
hoc Viri Doctissimi, si perpendissent, iniure servitatem, in qua al-

terutrius tantum, dominantis scilicet vel servientis officium memoratur, intelligi nihilo minus ius tam a parte dominantis, quam servientis. Patet illud exemplo seruitutis, ne altius tollatur. Quamvis enim solum hic officium servientis exprimatur, utique haec dici potest servitus, non, quod is, qui altius non tollit, habet ius dominantis, sed quia debet hoc vicino dominanti. Contra vero Jctis Romanis quoque solenne fuit, solum referre ius dominantis, ut inde iudicetur de officio servientis, pura servitus altius tollendi, non quasi is, qui altius tollit, servitatem deberet. Ex his ergo formulis plane non est seruitutis cuiusque natura definienda. In seruitute stillicidii AVER TENDI VEL NON AVER TENDI potius eadem, qua in caeteris urbanis servitutibus, ratione procedendum, quippe quae inter illas referri solita, communum iis explicacione frui debet, ita ut in seruitute stillicidii avertendi referatur ius dominantis, cui licet averttere in aream vicini. In servitute vero stillicidii non avertendi recensetur officium servientis dominans vero intelligatur is, qui habet libertatem a servitute stillicidii avertendi: & non obstat, quod ius stillicidii avertendi dicatur quoque servitus stillicidii avertendi.

## XV

*Paulus in* **P**AULO diligentiore indagatione digna sunt tria ista, quibus Paulus in L. 2. pr. d. Aq. & Aq. Pluv. Arc. omnem locorum inferiorum servitutem superstruit, quorum explicatio ideo huc pertinere videtur, quoniam Icti eadem in veris servitutibus seculi sunt, in primis quod ad vetustatem attinet, quae in omnibus servitutibus vicem legis tenere dicitur. Haec autem tria, per quae locus inferior superiori servit, sunt **L**EX, **N**ATVRA **L**OCI, & **V**ETVSTAS. Videndum ergo, quid Veteres per singula haecce significasse putandi sint. Primo, quid illis fuerit **natura**, considerandum. Hanc ii, quorum mens in pernoscendis

dis rerum caussis supra vulgus emittere volebat, pro DEO, & DEVVM in illa colebant. *Seneca de Benefic.* IV. 7. *Natura*, in,, quis, haec mihi praefat: non intelligis, te, cum hoc dicis,, mutare nomen DEO ? Quid enim aliud est natura, quam DE,, VS, & divina ratio toti mundo & partibus eius inserta ? Haec,, NATVRA cuilibet rei formam manentem indidisse dicitur & sub nomine Iani Diis annumerabatur teste *Ovidio Fastor.* I.

Tunc ego, qui fueram globus, & sine imagine moles,  
In faciem redii membraque digna Deo

Per eam ergo agri dispositi, montes erecti, & valles subsidere iussae sunt. *VARRO* ipse, cuius inter veteres excellentissimum erat iudicium acumen, a divina natura agros datos & dispositos esse censet de *Re Rustica* III. 1. Hinc merito pro lege custodiebatur natura, & cui ab ea servitus imposita erat, iure imposita intelligebatur; ita ut ager inferior superiori serviret L. I. §. ult. d. *Aq. & Aq. Plu. Arc.* Consequenter cessabat actio aquae pluviae arcendae, si quis opus tollat, ut aqua naturali more vehementius fluere L. I. §. 22. eod. contra vero, cum quis manu faceret, quo aqua aliter fluere, quam natura solereret, competitbat actio aquae pluviae arcendae L. I. §. 1. eod. Haec de natura, de lege paulo aliter tenendum. *LEGEM* hoc loco sic accipe ut notet *SERVITUTEM* ab eo, cui ius est, expresse fundo cuidam impositam L. 6. pr. *Comm. Praed.* L. 29. pr. d. S. P. R. L. 19. pr. *Quemadmodum Servit. amitt.* Huiusmodi legem patres familias fundis suis dicere solebant, quoties eos legabant, & hoc nomine separatur servitus ultima voluntate imposita ab ea, quae per pactiones & stipulationes conceditur §. 4. I. d. *Servit. Praed.* Homo enim, cui tanquam naturae pari divina ratio prae reliquis animalibus insignius inserta erat, siquidem ex divino semine procreatus fertur a Nasoni, Deorum vicem in terris tenebat, ad quorum effigiem filius esse credebatur. *Hinc* eius voluntas merito vim legis habebat,

quoties

quoties res suas procurabat, & fluit inde iuris regula: Quod qui  
liber possit rei suae **LEGEM** dicere

## XVII

*De vetusta-  
te.*

**H**oc modo tuebantur Icti etiam servitudes quasdam, quae non utriusque consensu, neque etiam temporis usu constituebantur. Sic in agris ager inferior superioris fluminis naturaliter eo defluentia excipere tenebatur. Sic etiam fieri potest in superficie, ut quis in colore aedificans lumina eius, cuius inferior habitatio est, obscurare possit, dummodo VETEREM FORMAM non excedat: nec eo nomine naturalem servitutem defendere, absurdum erit. Hae erant servitudes a natura impositae. Cum autem non divina natura, sed ars humana aedificaverit urbes, docente VARRONE de R. Rust. III. i. hinc in iis servitibus, in quibus venit opus humana factum manu, aliam sequentur rationem, VETVSTATEM scilicet; Proficietur hae equidem pariter ab hominis voluntate, sed cuius memoria non extabat, ita ut ubi servitus non imposta est, qui diu usus est servitute, velut iure adquiritam habere servitutem videatur L. i. §. ult. d. Aq. & Aq. Plur. Ave. Operis autem, per quod exercetur servitus, duratio memoriam excedere debet. Ita enim vetustatem intelligit Paulus in L. 2. §. f. d. Aq. & Aq. Plur. Arc. Hae vetustas succedebat in locum naturae, siquidem a VARO naturae equiparatur, teste Paulo, in d. L. 2. §. f. eod. quod enim per homines factum est, per ipsam quodammodo naturam factum videbatur. Sic Janus ille cuius nomine veteres naturam venerabantur, praeferat quoque temporibus, ex quo rum accumulatione nascitur vetustas, & pro omnium operum humorum auctore & principio reputatur ab Horatio Satyr. v. III. 4. 20. Erant nonnunquam hi termini a vetustate positi in ambiguo, & cum ad eos discernendos solebant arbitrii adhiberi L. ii. §. i. d. S. P. U. Quemadmodum in iudicio finium regundorum officium iudicis postulat, ut mensores mittat L. 8. §. i. Fin. Regund. quos titulo arbitrorum insigniri in L. 7. eod. non incommodum dictu erit. Parem ob rationem inhibiti videntur mensores aedificiorum a iudice, qui de iure altius tollendi cognolcebat; qui si dolo malo falsum modum renunciaverint, tenebantur actione in factum a Praetore proposita L. 5. §. 2. Si Mens. Pall. Mod. Meminerunt eorum, ni fallor, antiqua marmora apud Gruterum p. DCXXIII. 7. 8. DCXXIV. 2



WITTENBERG, Diss., 1733




SB ) 01

M. H. g. sh. u. Hoff + f



# Farbkarte #13



B.I.G.

Pri. 8. v. Parte. 48  
6

UTATIO IVRIDICA

1733 46

M ALTIUS TOLLENDI  
IONE LIBERTATIS  
CONSISTERE

PRAESIDE

DOPH. LUDOVICO  
CRELLIO

ENT. ITEMQUE POET. PROF. PVBL. ORDIN  
IVRID. ASSESSORE EXTRAORD  
VDITORIO ICTORVM

DIS QUIRET

AVCTOR

HENRIC. LUDOVICVS  
GEFELD. MISNICVS

PRID. ID. MART. C<sup>o</sup> 1900 XXXIII (3)

EFFIC. EICHSFELDIANA

